Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2257
Quelle:
Copyright:

pellat *Illustrem quondam Marchionem Austrie*, quod rursus pro *Haselbachio* facit.

Fol. 149. Oratio Legatorum *Basil.* habita ad Dietam *Norimbergae*, ut videtur, a. 1431. Init: *Reuerentissimi in christo Patres, illustrissimi Principes sacri Romani Imperii Electores dignissimi. Sacrosancta Basiliensis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata vniuersalem ecclesiam representans audiens hanc Dietam iudicauit tam debitum quam rationabile tantos et deuotissimos Christiane religioni principes per suos visitari, que et nobis suis oratoribus nostris Reverendissimis ac Excellentissimis Dominationibus aliqua commisit proponenda vocetenus* &c. Adsumtis igitur verbis: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius* &c. *Matth.* c. 6. graphiceque depicto Religionis, Morumque per *Europam* excidio hortantur Principes, ut adfistant Concilio. Inter motiva illis est *bohemorum aduentus et sperata reuersio ad gremium matris ecclesie*, totque *Ambasiatae*, quas Synodus destinat *Antisiodorum, Mediolanum, ad Venetos et Florentinos, ad Regem Polonie suumque fratrem et Prutenos, ad Bauariam;* unde inferunt: *Quo pacto ergo dicitur seminare scisma, cum ipsa tot scismatum sit suffocativa? Haselbachii* manus est, et prima in chartam conjectio multum interpolata et refecta.

Fol. 152. Brevis Institutio, quae incipit: *Ut cunctis etiam in Astronomia non peritis euidenter pateat, quam indebite festum pasche sepius solet celebrari temporibus his modernis, Tria sunt breuissime consideranda. Primo quid de ipso festo sit preceptum. Secundo quid doctores dicant de ipso festo et de tempore celebrationis Tertio quomodo per predicta cognoscatur error in celebratione.* E quibus conficitur Pascha perperam celebratum fuisse a. 1432: XII. *Kal. Maji.*

Fol. 154. Resumuntur *Sessiones*, et quidem XXI^a. prout habetur *Labb. cit. col.* 317. Sed accedit *Copia bulle auree* (τȣ Χρυσοβȣλλȣ) *domini Imperatoris* (Joh. Palaeologi) *Grecorum*, 1435. 26. *Novembr.* datae, quam *Labbeus* primo profert ad *Sess.* XXIV. *col.* 337. Initium est: *Quoniam destinatae fuerunt ab Imperio meo et sanctissimo Domino Icumenico Patriarcha ambasiate ad sacrosanctam ecclesiam Romanam* &c. Nominantur in ea tres *Basileensium* Legati *Job. de Ragusio* O. P. *Henr. Mengner* Decret. D. et Can. *Constant.* et *Simon Freyre*, alias *Freron* Can. *Aurelian.*

Fol. 158. p. 2. *Sessiones* XXII. et XXIII. ut apud *Labb.* a *col.* 321. Dein vero: *Monitorium contra Dominum Papam Eugenium* ex *Sess.* XXVI. ut *col.* 349. *Decretum facte translacionis Concilij Basilien.* Nempe ab *Eugenio Ferrariam*, ut T. XVIII. *Labb. col.* 874. *Decretum sacri concilij Basilien. cassans translacionem eiusdem in ferrariam per dominum nostrum*